Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2597
Quelle:
Copyright:

XIII. *fol.* 170. Institutio rhythmica Virginis Deo consecratae *Stropharum* 109. quae sic ordi-tur:

Grata deo castitas est coniugatarum.
Illa plus quam sanctitas ornat viduarum.
Longe precellentior virginum sacrarum.
Luminare maius hoc lumen dat preclarum.

Et finit:

Hoc labore seculi sustine certamen
Vt secura videas ultimum examen.
Tunc sanctarum virginum sencias iuuamen
Vt cum illis gaudeas in eternum Amen.

DCLXXXI.

582 Codex partim chartaceus, partim membraneus lat. partim Sec. XV. partim XIV. 4. olim *Fratrum Sancte Crucis in Colonia*, Tractatus condit sequentes: I. *De Simonia vitanda* Dissertatio constans *Articulis* XVIII. cujus initium: *Gratis accepistis. gratis date. Matbei decimo. Filiis Dei. Dominus et saluator cuius tanta est caritas* &c. Contenditur potissimum, Religiosos Ordines nihil posse exigere a Personis recipi cupientibus.

II. *fol.* 30. p. 2. Tractatus de eadem Materia ejusdem Autoris, hujus initii: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* &c. *Ista sunt verba sacratissimi principis Apostolorum Actuum octauo.* &c. Adparet e Prooemio Scriptum istud dirigi contra Doctorem aliquem, *quem* ut ait Noster, *vita scientia et etas commendabilem fecit et famosum*, quique leniter nimis Constitutionem *Bonifacii* VIII. et *Urbani* V. contra Quaestum ejusmodi Receptionum interpretatus fuerat. Constat *Articulis* XI. probeque versatum in Iure Can. et Patribus Autorem prodit. Est vero is *Carthusianus*, et quidem, ut e *Tritbemio* et *Theod. Petreji Bibl. Carth. p.* 74. doceor, pius ille celeberque πολυγραφος *Dionysius de Leuwis* dictus a Patria *Ryckelius*, qui a. 1471. e Conventu *Ruraemundano* ad Superos abiit, memoraturque in *Bibl. Belg. Foppenii* T. I. p. 241. Hic vero Responso non caruit; sequitur enim

III. *fol.* 61. Commentatio titulo: *Per infrascripta Respondetur obiectionibus cuiusdam religiosi In materia de Symonia*, quae incipit: *Alias pauco tempore transacto Reuerendissimo In christo patre Domino Nicolao de Cusa Cardinali et legato sedis Apostolice in partibus bollandie agente* &c. Autoritate hujus Viri *non*, ut dicitur, *priuatim in cameris* (puta ut Carthusianus) *sed in exercitio scolastico edocti et promoti* statuitur: